

1241, juny, 6

*Bernat de Palol i la seva esposa Beatriu venen a Guillem Pere i a la seva esposa Jordana el mas Julià de Corts, pel preu de 300 sous de quatern.*

ASD núm. 129, perg. orig., 590 x 170 mm, que conté igualment l'escriptura d'evicció de la mateixa venda, d'igual data.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus de Palaciolo et uxor mea Beatrix, per nos et per omnes nostros presentes et futuros uendimus et cum hac presenti publica carta omni tempore ualitura liberando tradimus tibi Guilielmo Petri et uxori tue Iordane et uestris et quibus uolueritis in perpetuum totum illum nostrum mansum qui uocatur Iulianus, quem habemus in parrochia Sancti Iuliani de Curtibus et totum dominium ipsius campi quem Barcelonus de <l>uliano tenet per nos et quicquid aliud in dicta parrochia racione ipsius mansi Iuliani predicti habemus et habere debemus et accipimus et accipere debemus iure aliquo uel racione, cum exitibus et ingressibus et pertinentiis et tenedonibus et hominibus et feminis et censibus et usaticis et iuuis et traginis et questis et toltis et forciis et placitis et stabilimentis et seruiciis et adempramentis et cuguciis et exorchiis et homicidiis ac redemptionibus hominum et feminarum et omnium rerum dominiis siue exaccionibus ac prouentibus et cum omnibus aliis in eis habentibus eis que qualicumque modo pertinentibus, prout melius dici uel intelligi potest ad comodum et utilitatem uestram et uestrorum. Sic predictum mansum cum omni sua proprietate et integritate et dominium dicti campi cum omnibus aliis supradictis uobis et uestris uendimus et tradimus per franchum et liberum alodium in perpetuum pro trescentis solidis barchinonensibus, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, de quibus recognoscimus nos a uobis bene esse paccatos, renunciando excepcioni non numerate peccunie, et si amplius ualent dicta omnia dicto precio uel ualebunt, totum gratis et ex certa sciencia tibi et uestris donamus, renunciando expresse auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti predi succurritur. Et ideo de nostro iure ac potestate in uestrum tradimus dominium et potestatem et in presenti cum hoc publico instrumento mitimus inde uos in corporalem possessionem ad habendum et tenendum et omni tempore possidendum ad omnem uestram uestrorumque uoluntatem amni tempore ibi et inde faciendam pro francho et libero alodio, sine aliquo retentu quod inde non facimus, omnibus nostris uocibus et rationibus et omnium nostrorum in perpetuo extinctis et penes uos remanentibus. Et conuenimus uobis et uestris per nos et per omnes nostros predictam uendicionem semper facere habere et tenere in pace pro francho et libero alodio, et esse deffensores et garentes contra cunctam uiuentem personam, et de euiccionem et de amni interesse obligamus uobis et uestris quisque nostrum in solidum nos et heredes nostros et successores et omnia nostra bona mobilia et immobilia habita et habenda ubique. Et ad maiorem firmitatem iuramus super sancta .IIII. Dei Euangelia nostris propriis manibus tacta hec omnia superscripta semper rata et firma habere et numquam contrauenire iure sponsalicii mei Beatricis uel alio modo. Et si aliquo iure scripto uel non scripto, legali uel diuino, publico uel

priuato, humano, canonico, ecclesiastico uel ciuili, generali uel speciali siue  
excepcione uel occasione aliqua in futurum huic contractui obuam ire  
possemus, illi iuri per uirtutem dicti sacramenti per nos et per omnes nostros  
prorsus irreuocabiliter in perpetuum renunciamus. Si quis hoc rumpere  
uoluerit, non ualeat.

Actum est hoc .VI. idus iunii anno Domini .MCCXL. primo

Sig+num Bemardi de Palaciolo, sig+num Beatricis eius uxoris,  
qui hoc firmamus et laudamus. Sig+num Bemardi de Sancto Celedonio. Sig+num  
Amalli Odgerii. Sig+num Bartolomei de Uilla de Palaciolo.

(s. *man.*) Amallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bemardi de  
Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bemardus de Uicco,  
publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-  
1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 262-263